

mea tua. secundum formas serui non est  
doctrina ipsius. sed illi qui eum misit.

Cap. xi

**E**t de die et de hora nemo scit. neque angeli in celo. neque filius nisi pater. Hoc enim nescit quod nescit. quod nescientes facit. id est quod non ita sciebat ut tunc discipulis iudicaret. sicut dictum est ad abraham. nunc cognouit quod timeas deum. id est nunc fecit ut cognosceres. quod et ipse sibi in illa temptatione probatus innotuit. Nam et illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno. de quo futuro tanquam preterito loquens ait. Jam non dicam vos seruos sed amicos. seruus enim nescit voluntatem domini sui. Vos autem dixi amicos. quod omnia quecumque audiui a patre meo nota feci vobis. quod nondum fecerat. sed quod certo facturus erat quasi iam fecisset loquutus est. Ipsi enim ait. multa vobis habeo dicere. sed non potestis illa portare modo. Inter que intelligitur. et de die et de hora. Nam et apostolus. Neque ei iudicauit me inquit scire aliquid me vos nisi christum ipsum et hunc crucifixum. Eis enim loquebatur. qui capere altiora de christi deitate non poterant. Quibus etiam paulo post dicit. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus. sed quasi carnalibus. Hoc ergo inter illos nesciebat quod per illum scire non poterant. et hoc solum se scire dicebat quod eos per illum scire oportebat. demum sciebat inter perfectos. quod inter pueros nesciebat. Ibi quippe ait sapientiaz loquimur inter perfectos. Eo namque genere locutionis nescire quisque dicit. quod occultat. quod dicitur fossa ceca que occulta est neque enim aliquo genere loquuntur scripture. quod in consuetudine humana non inueniatur. quia utique hominibus loquuntur. secundum formam dei dictum est. ante omnes altitudines creaturarum et ante luciferum genui te. id est ante omnia tempora et temporalia. secundum formam autem serui dictum est. dominus creauit me in principio viarum suarum. quia

secundum formam dei dixit Ego sum veritas. et secundum formam serui. ego sum via. Quia ei ipse est primogenitus a mortuis iter fecit ecclesie sue ad regnum dei ad vitam eternam. cui caput est ad mortalitatem etiam corporis. ideo creatus est in principio viarum suarum in opera eius. Secundum formam enim dei principium est quod et loquitur nobis. in quo principio fecit deum celum et terram. secundum formam autem serui spiritus procedens de thalamo suo. Secundum formam dei primogenitus omnis creature et ipse ante omnes est. et omnia in illo constant. secundum formam serui et ipse est caput corporis ecclesie. Secundum formas dei dominus glorie. unde manifestum est quod ipse se glorificet sanctos suos. Quos enim predestinavit hos et vocauit. et quos vocauit ipsos et iustificauit. Quos autem iustificauit. ipsos et glorificauit. de illo quippe dictum est. quod iustificet impium. de illo dictum est. quod sit iustus et iustificans. Si ergo quos iustificauit ipsos et glorificauit. qui iustificat ipse et glorificat quod est ut dixi dominus glorie. Secundum formas tamen serui satagentibus discipulis de glorificatione sua respondit. sedere ad dexteram vel ad sinistram non est meum dare vobis. sed quibus parum est a patre meo. Quod autem parum est a patre eius et ab ipso filio parum est. quia ipse et pater unum sunt. Jam enim ostendimus in hac trinitate per multos diuinarum locutionum. modos etiam de singulis. quod omnia sunt propter inseparabilem operationem unius eius deique substantie sicut et de spiritu sancto dicit. Cum ego iero mittam eum ad vos. non dixi mentem. sed ita quasi tantum filius eum missurus esset. et non pater. cum alio loco dicat. Hec loquutus sum vobis apud vos manens. aduocatus autem ille spiritus. scilicet quem mittet pater in nomine meo. ille vobis declarabit omnia. Dic rursus ita dictum est. quasi non eum missurus esset. et filius sed tantum pater. Sicut ergo ista ita et illud. quod ait. sed quibus parum est a patre meo. cum patre se intelligi